

~~Ed. 65~~

1) Polarius, Arundin

nicht 21 - 25)

Ed 65

nicht
verfilmbar
nicht PK



DISPUTATIO I.

in Academia Iulia, quæ est Helmsteti 3. Decembris Anno 1598.

habita.

DE NATV.

RALI HOMINIS

AD COELESTEM PATEFA

CTIONEM COGNOSCEN-

dam in habilitate imò ἀδυναμία, quæ interim

nihil obstat quo minus ita ordinante &

mandante DEO eam audias,

mediteris, deq; ea dis-

putes.

Præsides

Ed 65

M. IACOBO OLVENSTETO.

Respondente

IOHANNE MOTHIO Holsato.

Magdeburgi Excudebat Andreas Duncker.

Anno M. D. C.



Jakob Oelvenstedt



AMPLISSIMIS ET PRU-
DENTISSIMIS VIRIS Dn. CON-
SULIBVS, CAMERARIIS ET
cæteris Ordinis Senatorij viris in
Republica Burgensi, Dominis
ac patronis suis, dicat &
offert Author.



I.

Vod ad honorem DEI, qui omnibus nostris actionibus veluti scopus præfigitur, *1. Cor. 10. v. 31.* tendat, & in ædificationem nostram, cui omnia velificantur. *1. Cor. 14. v. 26.* cedat, doctrinæ Catechetiæ locos, quos Epistola ad Hebræos elementa initiij eloquiorum DEI appellat, *Heb. 5. v. 12.* ad disputandum proponimus.

2. Hoc dum conamur methodo haud inconueniente in vestibulo investigaverimus, quanta sit huius doctrinæ, in qua versabimur, altitudo, profunditas, latitudo, sublimitas. *Eph. 3. v. 18.*

3. Quàm homines ad hanc, non dicam, sint vesperitiliones & talpæ sed tenebræ. *Matth. 6. v. 23. Ioh. 1. v. 5. Eph. 4. v. 18. & cap. 5. v. 8.*

4. Ad doctrinam hanc salutariter percipiendam opus est Doctore Spiritu Sancto. *1. Cor. 2. v. 11. Rom. 8. v. 9.*

5. Potentiam *Rom. 1. v. 16.* & sapientiam ipsius DEI complectitur, *1. Corinth. 1. v. 24.* quæ in hominis mentem venerunt nunquam revelat. *1. Cor. 2. v. 9.* in mysterio occultata latet *1. Cor. 2. v. 70.* Veritatem DEI nobis explicat. *Ioh. 17. v. 17. Coloss. 1. v. 5.*

A 2

6. Hanc

6. Hanc doctrinam qui tenet, mentem Christi habet. *1. Cor. 2. v. 16.* spiritualem requirit dijudicationem. *1. Cor. 2. v. 14.*

7. *Ἀποδείξει* vel demonstratione, quæ divinæ virtutis est, spirituali utitur *1. Cor. 2. v. 4.*

8. Initium huius doctrinæ est timor Domini *Psal. 111. v. 11. Proverb. 11. v. 2.* vide caput 9. totum in *lib. Sapientia.*

9. Sed quid multis opus est? idoneum hæc doctrina discipulum inter homines non reperit, sed nova sit oportet creatura. *2. Cor. 5. v. 17.* salutariter eam percepturus.

10. Excutiamus enim hominem, reperiemus in ipso scriptura duce corpus peccati *Rom. 6. v. 6.* corpus mortis *Rom. 7. v. 24.* membra terrestria mortificanda, *Coloss. 3. v. 5.* legem in membris rebellantem. *Rom. 8. v. 23.* Spiritum mundi non DEI *1. Cor. 2. v. 12.* Sapientiam mundi *1. Cor. 1. v. 20.* sapientiam hominum *1. cor. 2. v. 5.* Sapientem ea quæ sunt hominum *Matth. 16. v. 23.* sapientiam principum seculi huius *1. Cor. 2. v. 8.* sapientiam hominis animalis *1. Cor. 2. v. 14.* sapientiam abolendam *1. Cor. 1. v. 19.* Infatuandam *Ibidem v. 20.* sapientiam carnalem *2. Cor. 1. v. 12.* sapientiam quæ in divinis sit apud Deum stultitia *1. Cor. 3. v. 19.* utpote quæ sermonem DEI
stultitiæ

stultitiæ insimulat. *1. Cor. 1. v. 18.* cui scripta Prophetarum & Apostolorum sunt liber signatus *Esa. 29. v. 11.* quæ tantum distat à DEI sapientia, quantum terra à coelo *Esaia 55. v. 9.* sapientiam spiritualiter insipientem DEI signaram. *Psal. 14. v. 1. 1. Cor. 1. v. 21.*

11. φρόνημα in homine quem nobis excutiendum sumpsimus videbimus DEO inimicum. *Rom. 8. v. 7.* φρόνημα non mortiferum sed mortem ipsam. *Ibidem v. 6.* ad legis sapientiam concipiendam inhabile. *ibidem.*

12. Oculos excæcatos *Iob. 12. v. 20.* obtenebratos. *Rom. 11. v. 80.* Aures non audientes, *ibidem v. 8.* aures incircumcisas *Ierem. 6. v. 10.* *Act. 7. v. 51.* surdas *Michea 7. v. 16.* cervicem ferream frontem æneam *Esaia. 48. v. 4.*

13. Mentem hominis describi legemus carnalem *Coloss. 2. v. 18.* pollutam *Tit. 1. v. 15.* excæcatam *2. Cor. 4. vers. 4.* vanam. *Ephes. 4. vers. 17.*

14. Cor est crasum *Matth. 13. vers. 16.* obduratum *Iob. 12. vers. 40.* pravum & inscrutabile *Ierem. 17. vers. 10.* lapideum *Ezech. 36. vers. 26.* impoenitens *Rom. 2. vers. 5.* Ex cuius thesauro proferatur malum. *Luce 6. v. 45.* Omne quippe figmentum.

gmentum cordis pravum est *Gen. 6. vers. 5. Gen. 8. vers. 21.*

15 νοήματα five conceptus callo sunt obducti *2. Cor. 3. vers. 14. λογισμοί* five ratiocinationes adversus DEI cognitionem sese efferunt, expugnationis, depressionis, captivationis indigæ. *2. Cor. 10. vers. 5.*

16. διαβολῆς five cogitationis res cum discursu librantis tenebræ se intendunt. *Eph. 4. vers. 18.*

17 ἀποδείξεις five demonstrationis spiritualis loco persuasoria humanæ sapientiæ verba in homine dominantur. *1. Cor. 2. v. 4.*

18. Notitiam quandam habet homo naturalem de D E O. *Rom. 1. vers. 19. 20.* sed detentam in iniustitia. *Rom. 1. vers. 18.* carnalem. *Iob. 3. vers. 6.* cæcam, *2. Pet. 1. vers. 9.* DEO non placentem *Rom. 8. vers. 8.* DEI spiritualiter ignaram *1. Cor. 1. vers. 21.* in naturaliter cognitis etiam se corumpentem *Iudas v. 10.*

19. Sed ut labor inquirendi in hominem minuatutur missis particulis in totum ipsum cum scriptura descendamus, Animalis h. e. spirituali oppositus est, *1. Cor. 2. vers. 14. 1. Cor. 15. vers. 44.* caro est. *Iob. 3. vers. 6.* Terrenus est & terrena loquitur *Iob 3. vers. 31. Ex Diabolo est. Iob. 8. v. 44.*
Ex in;

Ex infernis est *Ioan. 8. vers. 23.* ex mundo *ibidem*,
ex sanguine & libidine viri natus est. *Ioh. 1. v. 13.*
In peccatis conceptus est. *Psal. 51. vers. 7.* Dia-
boli filius est *Matth. 13. vers. 38.* iræ filius natura
Eph. 2. v. 3. gehennæ filius *Matth. 23. vers. 15.* fi-
lius huius seculi, *Lucæ. 16. vers. 8.* filius noctis &
tenebrarum, *Theß. 5. vers. 5.* Viperarum proge-
nies *Matth. 3. vers. 7.* *Matth. 12. vers. 34.* in pecca-
tis mortuus, *Eph. 2. vers. 1.* Et quidem unius la-
plu *Rom. 5. vers. 15.* in quo uno, (Adamo) pecca-
vit *vers. 12.* Inimicus DEI *Rom. 5. vers. 10.* &
in mundo *Eph. 2. vers. 12.* servus peccati est, *Ioh. 8.*
vers. 34. venundatus sub peccato *Rom. 7. vers. 14.*
Mendax *Psal. 116. vers. 10.* *Rom. 3. vers. 4.* abo-
minabilis coram DEO & quidem eò abominabi-
lior quò hominibus acceptior. *Lucæ. 16. vers. 15.*
abalienatus à vita DEI *Eph. 4. v. 18.* ad omne bo-
num opus reprobus *Tit. 1. v. 26.* Hypocrita *Matth.*
7. v. 5. *Matth. 23. v. 13.* & seqq.

20. Non potest loqui bona *Matth. 12. vers. 34.*
Non cogitare, *2. Cor. 3. v. 5.* operibus malis men-
tem intendit *Coloss. 1. vers. 21.* in corde negat esse
DEVM *Psal. 14. vers. 1.* factis negat DEVM
Tit. 1. v. 16. Sed quî affirmaret esse DEVM quem
ignorat *Act. 17. vers. 30.* *1. Cor. 1. vers. 21.* Ince-
dit in peccatis secundum diabolum & agit in ipso
diabo.

Diabolus *Eph. 2. vers. 2.* excæcat eius mentem diabolus *2. Cor. 4. vers. 4.* laqueo diaboli irretitus captivus ducitur ad diaboli libitum. *2. Tim. 2. vers. 26.* Nisi deniq; gratiam inveniat apud DEVM in peccatis moritur *Iob. 8. v. 21.*

21. Quibus omnibus stantibus (sicut stant firmissimè) aurea Lutheri dicta cur dubitemus superstruere. *1. Cor. 3. v. 12.?*

22. Dialectici & Philosophi definiunt hominem animal rationale. Id quod in Dialectica & Philosophia verum largimur, sed quis in Theologia verum affirmabit? *Tom. 3. Witt. p. 162.*

23. Ratio est acerrimus & pestilentissimus hostis DEI *Tom. 1. Witt. p. 61.*

24. Quò cultior & acutior est ratio eò nocentior est bestia contra DEVM & omnia DEI opera *Tom. 2. Witt. p. 125.*

25. Ratio hominis ad summum usq; exulta ne unum quidem jota de sapientia cœlesti intelligit, *Tom. 1. Witt. p. 511.*

26. DEVS in suo verbo loquitur rationi impossibilia, mendacia, stulta, infirma, absurda, abominanda, hæretica & diabolica *Tom. 1. Witt. p. 123.*

27. Natu'

27. Natura & ratio hominis cū omnib. suis virib. caro est, *Tom. I. Witt. p. 75.* In disputatione anni 1517. pro Bibliis habita V Vittebergæ: Error est dicere, sine Aristotele, non fit Theologus, imò Theologus non fit, nisi id fiat sine Aristotele. Theologus non logicus est monstrosus hæreticus, est monstrosa & hæretica oratio contra dictum commune, *ibidem.* Breviter totus Aristoteles ad Theologiam est tenebræ ad lucem.

28. Longum latumq; discrimen est inter naturales & spirituales facultates. Spirituales non solum sunt corruptæ sed etiam planè abolitæ per peccatum in diabolis & hominibus. *Tom. I. Witt. p.*

24.

29. Sed hic regeret fortè aliquis omnem proficendi in doctrina cœlesti spem ita præcidi? cum in omni disciplinarum genere spem profectus illi deum concipiant, qui φύσις hoc est naturalem aptitudinem ad eas afferant teste Plutarcho περί παιδείας ἀγωγῆς?

30. Sanè si carnali iudicio hoc standum fuerit, (sicut munitiones, ratiocinationes, sublimitates, cogitationes eius 2. Cor. 10. vers. 4. 5. dictitant) parum abest, quin ministerium verbi externum totum aboleas, hominis per verbum conversionem desperes, itaq; in Anabaptistarum castra transeas.

B

31. Etsi

31. Etsi verò carnale studium, conatus, cursus, auditus, voluntas, desiderium, & si quid plus addere volueris, nihil quicquam ad fidem justificantem præstent, *Rom. 9. v. 16.* Mandatum tamen DEI extat, ut verbi vox inter nos per prædicationem sonet tempestivè & intempestivè 2. *Timoth. 4. v. 2.* ut audiamus nec usum externi ministerii pro nihilo habeamus *Psal. 95. v. 8. 1. Thess. 5. v. 20.* unde & ἀκοή λογῶν appellatur, *1. Thess. 2. v. 13.* ut attendamus 2. *Pet. 1. v. 20.* ut probemus *Act. 17. v. 11.* ut legamus, *1. Timoth. 4. v. 13.* ut scrutemur, *Ioh. 5. v. 39.* ut secundum illud dicamus & sententiam feramus, *Esaie 8. v. 20.*

32. Hoc verbum divinitus est validum ad munitiones carnales expugnandum, sublimitates carnales deprimendum, noemata vaga & hostilia captivandum, 2. *Cor. 10. v. 4. 5.* ad conceptiones cordis diiudicandum *Heb. 4. v. 12.* ad fidem in audientibus accendendam *Rom. 10. vers. 17.* alendam & conservandam, *1. Thess. 2. v. 13.*

33. Atq; ita quod propter discipuli inhabilitatem iudicio carnali decernebatur impossibile, apud DEVM fit possibile *Luce 18. v. 27.*

34. Exemplo nobis sint Iudæi Thessalonicenses & Beroeenses, utrisq; prædicatur & ob oculos ponitur hæc doctrina *Act. 17. v. 3.* maxima horum
pars manet

pars manet incredula *Ibidem*, v. 5. aliis fidei oculi
aperiuntur v. 11. Num quia *εὐφύια* quadam & ju-
dicii sagacitate præ cæteris pollebant? nihil minus,
sed per pædagogicum huius doctrinæ auditum, quæ
dominus ordinavit, ut ratio luctæ implicita à spiritu
subigeretur, ex mera gratia adest spiritus Sanctus
naturalem fastum fastidiumq; , depellens, aperiens
aures, *Esaiæ 48. v. 8.* aperiens mentem ut scriptu-
ram intelligat, *Lucæ 24. vers. 45.* Cor, ut attendat
quæ dicuntur *Act. 16. v. 4.* fidelem *προθυμίαν* sive ala-
critatem ad recipiendum sermonem afferens, uberi-
orisq; profectus ardorem instillans *Act. 17. v. 11.*

35. Hoc ardore spiritus inflammati ad lydium
scripturarum lapidem sermonem Apostolorum
receptū antea dū *καθ' ἡμέρας* exigunt maiori fidei in-
cremento (ut verbum non tantum auditum ad fidem
accendendam, sed probatum & examinatum ad ean-
dem etiam alendam novis efficac) augentur, *vers.*
12.

36. Nos itaq; Beroeensium horum vestigiis ubi
institerimus, hoc est conventus nostros peregeri-
mus, Dei verbum in iis audiverimus, auditum *μετὰ*
πάσης προθυμίας receperimus, receptū scrutatione &
collatione dictorum scripturæ comprobaverimus;
non est quod de divina nostrarum disputationū pri-
mitiis spiritus nitentium approbatione, & ex pu-
ro pu-

το πτοῦ; DEL verbo εἰς ἀναγγιλοντας redundante
fructu dubitemus *Esaiæ. 55. v. 11.*

37. Ne etiam ingenium lectionis, auditionis, me-
ditationis, disputationis, exercitationis, externo usu
limatum, & excellentis doctrinæ copia instructum
fidei salvificæ privilegiis præ aliis ἀγαπητέτοις ἡϊδιώταῖς
Act. 4 v. 13. donatum præsumas; studii, cursus &
progressus talis sed vani & carnalis exemplum huc ap-
ponimus.

38. Iudæum in hoc nostri status cardine Aposto-
lus *Rom. 2. v. 17. & seqq.* circum agit: Circumful-
sit is (inquit) primum magnifico Iudaicæ religio-
nis titulo, nec titulo tenus Iudæus sed legis Dei ce-
lebris professor extitit, Iudaismi professione nihil
sibi dulcius ad ἀνάπαυσιν usq; sensit. Hoc mentis car-
nalis testimonio non contentus fidei veræ indolem
æmulans gloriæ sibi hanc suam professionem du-
xit, & quidem gloriando in Deo, *v. 17.*

39. Ne vana gloriabundi Thraſonis verba se
audire quis putet, voluntatis divinæ notitiam ha-
buisse, à voluntate hac vel culmum latum disceden-
tia ad normam doctrinæ cœlestis examinasse & ex-
plorasse memoratur: ne αὐτοδιδάκτορ & νεόφυτορ ipsum
censeas ab incunte ætate in Catechetica doctrina
institutus, *v. 18.* & per Sacramentum circumcisi-
onis

onis in propatulo coetui judaico insertus *vers.* 25.
dicitur.

40. Tenebras sibi esse in religionis articulis con-
questus quis fuit? Iudæus hic se lucem se ducem ob-
tulit, *v.* 19.

41. Alius errorem alius infirmitatem prætendit?
utriusq; Magistrum se professus fuit, idq; jure con-
spicuo quod rationem informandi discipulos speci-
osam tenuerit. *v.* 20.

42. Absolutum inquires fidei & sanctitatis exem-
plar in Iudæo tam graphicè depicto intueor! audi
verò Apostolum: carnalia ista in Iudæo ut evincat
omnia, hui quot dicas laudatissimo Phariseo scri-
bit.

43. Alios, inquit, docuit, & iis per ministerii
verbum prodesse potuit, sibi ipsi internorum ho-
norum egeno defuit, ideoq; circumcisionis cor-
dis negligentem furtereum peragit *v.* 21. adulte-
rii, idololatriæ, sacrilegii crimina horrenda san-
cto viro impingit, *v.* 22.

44. In causa verò quid est, dices, quod tanta Dei
bona huic Iudæo nil profuisse refert Apostolus:
Habuit ista bona sed habuit in litera non in spiritu
vers. 29.

45. Nos

45. Nos itaq; exemplo hoc tanti Iudæi commo-
nefacti, non in multâ notitiâ spiritualium externâ,
non in donis labore summo naturalium viriû partis
vel etiam ministerii externi usu acquisitis, &c. Ve-
ram vivamq; fidem sitam putemus, sed viribus do-
nis & dotibus naturalibus omnibus diffisi, in sola Dei
misericordia gratuita acquiescamus.

46. Cumq; disputationum exercitia ita sint com-
parata, ut freni cogitationibus & ratiocinationibus
in iis plus quam alibi laxentur: Ipsum disputatio-
nis etymon nos commoneat, ut carnalium cogita-
tionum stolones gladio verbi subinde putandos esse
sciamus, & sicubi caro tela acriora emiserit, fidei
scuto excipiamus, *Ephes. 6. v. 13.*

47. Ne verò putandi labor inter disputandum in
immensum excrescat, Pauli exemplo spiritualia
cum iis, quæ spiritualia (non carnalia) sunt, coniun-
gamus, *1. Cor. 2. v. 13.*

48. Si qui carnalibus telis fuerint instructiores
non ad oppugnationem spiritualium sed confusio-
nem carnalium istis uti debent, sicut monet. D. Lu-
therus *Tom. 1. Witt. p. 15.*

49. Sin feces carnalium cogitationum fidei synce-
ritatem turbantium in pectoribus nostris subsede-
rint, oremus ut eas filius Dei sanguine suo expurget
Heb. 9. v. 21.

50. Tu ve-

50. Tu verò Sancte spiritus ministerii præses
Esaie 48. v. 16. qui dona spiritualia ἰδίᾳ ἐκάσῳ distri-
buis sicut vis, *1. Cor. 12. v. 11.* gratiam da nobis in
messem pro tua voluntate aliquando extrudendis,
Matth. 7. v. 39. & ad ministerii opus segregandis
Act. 13. v. 2 ut publicæ utilitatis fidem *1. Cor. 12.*
vers. 7. cum justificante jungamus, A M E N.

C O R O L L A R I A.

I.

AN commodior doctrinæ cœlestis discipulas sit,
qui animum humanâ literaturâ excoluit, an
verò ἀγράμματῶ?

Resp. Si non magis æquè profecto ineptus & in-
commodus est φιλόσοφῶ ac ἀφιλόσοφῶ & ἀγράμματῶ.

2. An divinæ spirituales res ad modum natura-
lem logicum spiritualitate salvâ concipi & intelligi
debeant?

Resp. Negamus cum Apostolo *1. Thes. 2. v. 13.*

F I N I S .



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

COROLLARIA

Faint, illegible text in the middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower middle section of the page.


Faint, illegible text near the bottom of the page.

FINIS









14

DISPUTATIO I.
in Academia Iulia, quæ est Helmsteti 3. Decembris Anno 1598.
habita.

**DE NATV.
RALI HOMINIS**
AD COELESTEM PATEFA-
CTIONEM COGNOSCEN-
dam in habilitate imò & δυνάμει, quæ interim
nihil obstat quo minus ita ordinante &
mandante DEO eam audias,
mediteris, deq; ea dis-
putes.

Præsides Ed 65
M. IACOBO OLVENSTETO.
Respondente
IOHANNE MOTHIO Holsato.
Magdeburgi Excudebat Andreas Duncker.
Anno M. D. C.